

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. N. 5126 ad 5 die 22. Julii 1848.

(Et Corresp. de Rome 1848—49. Ed. II. p. 41.)

10) Quis est, si Presbyter et Diaconus Celebranti ministrant?

Quum in Missa solemnibus Officia Diaconi et Subdiaconi adimpleri debent a duobus, quorum alter est Ordinis presbyteralis, alter Ordinis diaconalis, a quo ex his duobus conveniens est ut, Subdiaconi munus expleatur?

S. C. resp.: Esse indifferens.

Die 7. Septembris 1850.

(Corresp. de Rome die 24. Augusti 1851 p. 343.)

11) In Sabbato s.

Post cantatam Epistolam et osculationem manus Episcopi Subdiaconus dicat verba: *Annuntio etc.* Absente vero Episcopo non fiat annuntiatio (attamen assistente Episcopo fiat).

N. 3006 ad 1 et 2 die 28. Novembris 1682.

12) Ad Sanctus.

*Ad dub.*: Rubrica missalis titulo 8 postquam n. 9 dixit, quod Subdiaconus ante medium altaris sustinere debeat Patenam, n. 11 praescribit, ut ad *Sanctus* accedere debeat cum Diacono ad altare ad dicendum *Sanctus etc.* An tolerandus usus earum Ecclesiarum, in quibus Diaconus non accedit? S. C. resp.:

Servetur cujuscumque loci consuetudo. N. 4669 ad 32 die 12. Novembris 1831.

13) Tenet librum.

*Ad dub.*: An Diacono Evangelium cantante, Subd. teneatur sustinere librum sive ante pectus sive in legili existentem

seu potius servanda sit consuetudo vigens in Ecclesia Casalen? S. C. resp.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. N. 4235 ad 3 die 15. Septembris 1753.

Vd.: *Subdiacon. Canon. Colleg.*

14) Tenet Patenam.

Post oblationem hostiae et vini factam accipit Subd. de manu Diaconi patenam, quam veli extremitate adjuvante caeremoniario contegit eamque elevatam sustinet usque ad *Pat. nost.* stans retro in loco consueto et conveniente; *nec movet se nisi cum ad elevationem SSmi genuflectit*; quo elevato statim surgit; et cum Celebrans dicit: *Et dimitte nobis etc.* facta genuflectione accedit ad altare in cornu Epistolae et patenam Diacono offert.

*Caer. Ep.* l. I. c. X. n. 6., l. II. c. VIII. n. 6373 cf. *Patena.*

Subdiaconus non sustinebit patenam in *missa Def. Ibid.* l. II. c. XI. n. 6.

SUBDITUS.

1) Ratione originis.

In Constitutione Innocentii XII. lata die 4. Novembris 1694 cujus initium: *Speculatores* expresse cavetur: Subditus ratione originis is tantum sit ac esse intelligatur, qui naturaliter ortus est in ea dioecesi, qua ad ordines promoveri desiderat; dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti.

(Ex resol. diei 20. Augusti 1803. *Auximana.*)

Cum alias quaesitum fuit generice, an et cui ordinario subesset presbyter Carolus, G. Cene, e cujus dioecesi erat oriundus; an H. in cujus dioecesi per plures annos commoratus fuerat ac bona acquisiverat, S. Cong. sub die 17. Decembris anni proxime praeteriti respondit subjacere utrique. Quia tamen descendendo ad particulares ef-

SUBSTITUTUS.

1) Canonicorum in choro.

Vd.: *Coadjutor Canon.*

Spoletana.

Prior, Canonici et Beneficiati suburbanae Collegatae s. Petri Civitatis Spoleti sese invicem ab immemorabili tempore in chorale servitium substituere solent, licet absint substitutes a Civitate et Dioecesi: dummodo tamen substituti vacent choro et praestita substitutes intra annum restituant servitia, exceptis diebus octo, quos condonari sinunt Constitutiones pro ea Ecclesia editae anno 1661 a clar. mem. Card. Facchinetti Episcopo tunc Spoletano. Hanc ipsam substituendi facultatem tribuit sibi Prioris Coadjutor: eaque insuper est inveterata consuetudo, ut proficiscentes extra Civitatem et Dioecesim permutent cum residentibus conciliares vacationes, quibus intra annum gaudent ex intervallo et interessentes choro divinum abjiciant Officium ad Missam celebrandam sive pro implendis legatorum oneribus sive in proprium commodum, quamvis nemo intersit celebrationi; vel ad excipiendas de licentia Ordinarii confessiones; quo munere inter Capitulares unus Prior, qui animarum curam exercet, ex officio fungitur.

Post hanc igitur diuturnam observantiam in dubium venit hujusmodi consuetudinis ac Vestrum idcirco oraculum postulavit super infrascriptis dubiis. Plura hinc Capitulares, per Spoletinum Episcopum auditi, in eorum resolutione capitulari deduxerunt, ut tolerabiles suaderent ipsorum consuetudines. Eis accesserunt Canonici alterius Collegatae s. Gregorii ac de simili testati sunt eorum observantia quoad mutuam dumtaxat substitutionem in servitium chori et permutationem vacationum. Nunquam enim inter ip-

fectus subjectionis, videtur durum oratori hoc duplex jugum, citato agente Episcopo C. supplicat pro responsione ad infrascripta.

1. An possit cogi ab Episcopo ad praestandam ei obedientiam consuetam in Dominica in Albis cum sub eadem die vocetur ad obedientiam ab Archiepiscopo. Et quid si vocetur sub alia die?

2. An cogi ad visitationem personalem quotannis, cum quotannis ab Archiepiscopo etiam visitetur?

3. An si, quando orator moratur per aliquot dies in dioecesi ob sua negotia, possit ab Episcopo cogi ad functiones publicas vel privatas in illis diebus obtingentes, ad quas tenentur veri dioecesani.

4. An orator eveniente casu teneatur solvere subsidium charitativum utrique Episcopo.

5. An teneatur concurrere ad solutionem spoliis cum clero utriusque dioecesis.

S. Congr. respondit ad primum: in illa dioecesi, in qua reperitur. Ad secundum ut ad proximum. Ad tertium: affirmative. Ad quartum: ubi possidet beneficium. Ad quintum ut ad proximum.

(Correspond. de Rome die 24. Julii 1851 p. 320.)

2) Regularis.

(Quis est?)

Ex facto constat, quod Aloysius Rouchi professionem emisit in Monasterio s. Mariae de Sagittacio. Ex professione religiosa oritur subjectio. *Tamburin.* de Jur. Abbat. disput. I. quaest. 2. num. 2.

(Ex resol. diei 15. Maji 1802. *Anglanen.*)

sos ob tenuitatem praebendarum admittuntur Coadjutores, qui eadem uti valeant facultate, nec aliter in eorundem Ecclesia permittitur egressus chorum divina celebrantur Officia, quam de licentia Prioris aut Praefecti chori, ad faciendum Sacrum vel excipiendas confessiones in utilitatem confluentis populi. At de diversa sua consuetudine retulit Capitulum Cathedralis. Nunquam enim in eo permittitur absentia a Dioecesi substitutio residentis, nunquam vacationum permutatio, sed ei tantum, qui in Civitate vel suburbiiis resideat; etiamsi sit Coadjutor. Omnibus vero interdictum est egredi choro tempore Officii divini ad celebrandam Missam (plures enim sunt, qui confessiones ex officio excipiunt, praeter dies festos, in quibus ea datur venia ad commoditatem populi.

Hisce autem de utraque Collegiata et Cathedrali expositis, haec observat Episcopus ad

I. dubium, quod quum a S. Concilio Tridentino cap. 12. sess. 24. vetitum non sit, quin Chorales invicem in servitio sese substituere possint, ubi viget consuetudo, videtur toleranda, sub his tamen praescriptis conditionibus, dummodo substituentes eidem servitio non sint adscripti. 2. Quod substituens restituat infra annum praestita servitia. 3. Ne hujusmodi substitutiones per eorum aliquem nimis sint frequentes, ut potius exonerari, quam levare censentur. 4. Substitutiones non permittantur illis, qui ultra civitatem, locum eorumque suburbia sunt absentes etc. Quia vero loca aliqua suburbia non habent, ut haec nostra civitas videtur indulgeri ac praefiniri posse absentiam hujusmodi ad Territorium, ut nonnullae Synodi dioecesanæ stabilierunt.

Ad II. Quamvis Concilium Tridentinum vacationem choralibus concedat ad tres anni menses, non debent ta-

men ipsi, nec possunt ea uti continuata, sed interpolatis vicibus, ne chorus debito servitio fraudetur, Sancta Congregatio Concilii in Idramnen. 1640; et praescribitur a singulis capitularibus Statutis, idcirco aboleri debet quaecumque consuetudo variandi invicem vacationes, ob periculum etiam non faciendi satis oneri residentiae, quia etsi praesens in loco, si choro non intersit, non residet, ut ss. Canones explicant et dum accumulatur vacationes, ansa porrigitur, ut quis Capitularium saepe absit sive intra et extra Dioecesim cum Ordinarii licentia.

Ad III. Non est rationabilis consuetudo, ut Coadjutor possit servitio chori substituere alium Canonicum ex dictis in II. quaesito. Quum enim Coadjutor non sit vere Canonicus etc. nec valeat nisi coadjuvare Coadjutum, consequitur, quod nunquam praestitum servitium restituere potest; nam absente Coadjuto ipsi substituitur, Coadjuto praesente, Coadjutor locum non habet in choro: eoque magis, quod Coadjutor, de quo dubitatur, est Coadjutor Dignitatis, hoc est Prioris Collegiatae et ibi non viget consuetudo, Coadjutorem substituere posse.

Ad IV. Nulla dubitatio, quod tempore chori sive divinorum Officiorum Chorales haud possunt discedere a choro, causa Missam privatam celebrandi ad legatorum satisfactionem vel ad propriam commoditatem, nisi in casu necessitatis cum licentia Praefecti et servata antianitate atque pro his oneratur Praefecti conscientia, qui praee oculis habere debet Encyclicam Clementis XI. 26. Martii 1703 §. de Choro.

Ad V. et ultimum similiter Chorales abesse a choro nequeunt sub obtutu charitatis, administrandi nimirum Poenitentiae Sacramentum etc. et ratio convincit, quia justitia praepende-

rat charitati, excepto Priore, qui curam adnexam habet, animarum et Capellane curato, nec non exceptis deputatis ab Ordinario in casu alicujus populi confluentiae. Verum Collegiata Ecclesia D. Petri, quia extra Civitatis moenia constituta, parum frequentatur, praeter unam vel alteram infra annum festivitatem, quae ibi celebratur, et mensem Maji pro lucranda Indulgentia plenaria Defunctis applicanda qualibet die dicti mensis et tunc non desunt media providendi Ecclesiam de Missis et Confessariis ad populi commoditatem absque ullo Capituli dispendio, ideoque consuetudo contraria, quippe irrationabilis, nil suffragatur, quin Chorales, si hac de causa a choro abfuerint, punctari debeant.

Quum decrevissent Tridentini Patres, in sess. 24. cap. 12. de reform., ut omnes Divina per se et non per substitutos compellantur obire Officia, hinc ea recepta olim fuit Canonistarum opinio, ne scilicet alterum in chorale servitium substituere liceret, peculiari non obstante statuto aut immemorabili etiam consuetudine, Vannespennius in dissert. de Canonicis par. 3. tit. 6. §. 5. et *Benedict. XIV. de Synod. dioeces. lib. 13. cap. 9. §. 11.* Haec tamen disciplina severior videbatur, quam humanae fragilitatis ferret ratio proindeque Capitularibus ab hac Sacra Congregatione dari coepit venia sese invicem substituendi; his tamen praescriptis conditionibus. Primo, ne substitutus ipse ad chorum venire debeat illis diebus, quibus in locum alterius sufficitur; secundo ne id frequenter contingat; tertio ut subrogentur Canonici solum vel Mansionarii praesentes in Civitate, non vero qui extra illam vel extra suburbia versantur; ultimo ne hanc facultatem alterius substituendi obtineant, nisi Canonici vel Mansionarii praesentes in Civitate,

non vero qui extra illam vel extra suburbia versantur; ultimo ne hanc facultatem alterius substituendi obtineant, nisi Canonici vel Mansionarii, non autem ipsorum Coadjutores, qui nec reipsa Canonici, neque Mansionarii nuncupari possunt, ut his verbis refert *Benedictus XIV. institut. eccles. 107. §. 3. sub num. 17.* Quoties ergo non subrogetur Coadjutor aut alter, qui eadem die choralis munere fungi debeat, absentia etiam a Civitate vel suburbiiis permissa videri posset substitutio.

Ex censura vero ss. Canonum a percipiendis fructibus quotidianisque distributionibus arcentur ii, qui in suis Ecclesiis non resident et divinis Officiis non intersunt, *cap. unic. de Cleric. non resident. in 6.*, ita ut ad lucrandos fructus et quotidianas distributiones nedum interessentia Divinis, sed etiam residentia in loco Beneficii requiratur. *Passerin. in comment. ad cap. unic. de Cleric. non resident. in 6., Schimier Jurisprud. can. lib. 3. tract. 1. par. 2. cap. 3. n. m. 384.* et Sacra Congregatio in Frisingen. Residentiae 3. Julii 1762 ad 1. dub. Praebendae enim redditus dantur in praemium residentiae, distributiones pro interessentia divinis Officiis, ut distinguit *Engel. in jus can. lib. 3. tit. 4. num. 24.* Neglecta autem esset canonica haec residentiae disciplina nec fructus, ipsius residentiae gratia percipiendos, suos tuta conscientia facerent Capitulares s. Petri, quoties a suburbiiis Civitatis aut Dioecesi absentes in chorale servitium substituere velint. Reque vera Sacra haec Congregatio in Alatrina 24. Martii 1612 rescripsit: eos tantum, qui in Civitate, ubi est Cathedralis vel ejus suburbiiis sunt praesentes, non autem alios posse substituere, ut in lib. 11. decret. pag. 112. et in Fulginaten. 31. Maji 1711 ad dubium: An Canonici et Capitulares

Ecclesiae Cathedralis Fulginatensis absentes a Civitate ejusque suburbiis, possint sese invicem substituere in servitio chori? respondit: negative.

Has resolutiones quum non ignorent Oratores, declarandum simul rogant, ad quae loca pro effectu licitae substitutionis extendi possint suburbia. His enim caret Spoletina Civitas et vicissim ex consuetudine Cathedralis aliarumque Collegiatarum, suburbii nomine ad praemissum effectum totam Dioecesim comprehendi affirmant. Neque talis consuetudo a jure omnino aliena reputari posset; siquidem censetur locus Beneficii (ubi morari debet Beneficiatus) districtus ille, intra quem Beneficium est situm, puta Oppidum, Civitas, Dioecesis, ut his verbis explicat *Schimier* in *Jurisprud. can. civil. lib. 3. tract. 1. part. 2. cap. 3. num. 329.* proindeque intra Dioecesim Spoletinam commorantes, licet a Civitate aut suburbiis absint, residere videntur. Verum Episcopus, synodalibus fretus Decretis, intra territorium Civitatis absentiae limites statuendos proponit; nam in Territorio degentes citius ad Ecclesiae servitium redire valent, quam qui per remota Dioecesis loca vagantur, nec videntur abesse, qui statim reversuri sunt, S. Concilium Tridentinum in sess. 23. cap. 1. de reformat., *Monet.* de distribut. part. 2. quaest. 6. num. 20., *Ceccoper.* lucubrat. can. lib. 2. tit. 11. num. 29. et *Schimier* loco citato num. 328.

Quaerendum praeterea, num licita sit permutatio vacationum in absentia nedum a Civitate et suburbiis, sed etiam a Dioecesi; atque hanc permutandi consuetudinem reprobasse non videtur Sacrum Concilium Tridentinum. Quum enim in sess. 24. cap. 12. de reformat., tres concedat vacationum menses in iis Ecclesiis, in quibus longius servitii tempus ex pe-

culiari constitutione non requiritur, hinc tenent passim Doctores, quod dies illi possunt esse vel continui vel interpolati, ita tamen, quod interpolati dies absentiae non superent trimestre. Ita *Reiffenstuel* in lib. 3. decret. tit. 4. num. 114. et ante ipsum *Garzia* de Beneficiis part. 3. cap. 2. num. 306., *Barbosa* de Offic. et potest. Episc. part. 3. alleg. 53. n. 120. et *Fagnan.* in cap. licet. n. 54. et 55. de praebend. Quae regula has tantum patitur limitationes, ut scilicet non omnes Capitulares eodem tempore abesse possint, ne ecclesia debito careat servitio; *Reiffenstuel* loco citato; nec variationes incidant in tempora Adventus, Quadragesimae, Nativitatis Domini aliasque solemniores anni festivitates, *Benedict. XIV. Inst. Can. 107. §. 6. num. 34.* et Sacra Congregatio in Ferrarien. et Setina 23. Novembris 1771 et in Pientina Vacationis choralis 30. Augusti 1777. Si ergo permutatio nec diuturnior sit tribus mensibus, nec impediatur, quominus excipiantur solemniores festivitates, toleranda potius, quam prohibenda videtur; quamvis eo permutantes respiciant, ut nempe interpolatas vacationes quindecim dierum conjungant. Hanc enim continuam vacationem non prohibet s. Synodus, nec vicissim ullum Ecclesiae servitio infertur damnum, cum in locum absentis choro intersit, qui alias vacatione gauderet, quique ab ipso absente de praestito redintegraretur servitio in aliis suae vacationis diebus, ut in capitulari resolutione notarunt Canonici.

At aliter opinatur Episcopus ex capitularibus statutis, quae conciliares vacationes concedunt interpolatis vicibus, ne Clerus debito servitio fraudetur, tum etiam ne Capitulares permutationis abutentes commodo, facilius residentiam derelinquant. Num autem posita facultate permutandi vacationes, chori

servitio detrimentum inferri possit, Emmi Patres ex superius notatis discernent; nam ad residentiam quod pertinet, magis communiter receptum est, quod vacationis trimestre concessum sit Canonicis quasi pro aliqua animi relaxatione, et ne residentia semper in uno eodemque loco nimis gravis fiat, ideoque ad hanc absentiam neque justam causam, neque licentiam Episcopi desiderari, ut docet *Engel.* in jus canon. lib. 3. tit. 4. num. 20., dummodo tamen a Dioecesi non discedant. Hoc namque in casu praemissam regulam Sacra haec Congregatio limitavit in his terminis, Sacra etc. tametsi declaraverit, nullam requiri licentiam ad hoc, ut Canonici abesse possint in mensibus a Concilio permissis; censuit tamen, hanc declarationem non vindicare sibi locum, quoties Canonici abesse volunt, extra Dioecesim ac proinde hoc casu Episcopi licentiam esse obtinendam. Caeterum Episcopum non debere illam absque rationabili causa negare. Ita in *Ludren.* 9. Maji 1626 lib. 12. decret. pag. 233., quae resolutio confirmata fuit in Castri Maris 4. Maji 1737. Num Coadjutori alterum substituere liceat in chorale servitium, secundum agit dubium. Omnibus ille gaudet praerogativis, praesentibus, honoribus et privilegiis Coadjuti, juxta *Gonzalez.* ad regul. Cancellar. 8. gloss. 5. §. 9. num. 99.; atque inservit Ecclesiae absque praebenda: aequum propterea videtur, ut hoc substituendi commodo fruatur, *Ursaya* in discept. eccles. 17. num. 3. tom. 6. part. 2. Per hanc enim substitutionem nil decrescit divino cultui, sed potius augetur. *Ursaya* loco citat. num. 8. et *Pignatell.* consult. 130. num. 21. et sequ. num. 1. Qua de re contraria non obstante S. hujus Congregationis sententia, de qua sub primo dubio actum, ex gratia quandoque Coadju-

tori data est venia substituendi, ut in Urbinaten. Servitii chori 12. Jul. elapsi anni. Vicissim cum Coadjutores non sint veri Canonici, ut notat *Benedictus XIV. Instit. 107. §. 3.*, hinc S. Congregatio decrevit in *Casertana* 26. Februarii 1650 lib. 19. decreti. fol. 28., Coadjutorem uti non posse privilegio alium substituendi. Et in cit. Urbinaten. concessit ex gratia attentis peculiaribus circumstantiis, quae si in nostro concurrant casu, EE. VV. decernant.

Pertinet tertium ad celebrantes Missarum tempore divini Officii, de qua consuetudine in utramque partem disputant Doctores. Nonnulli siquidem illius horae distributiones adimendas firmant, licet quis eorum celebret ex obligatione alicujus simplicis capellaniae, quam possidet una cum canonicatu etc. quia hujusmodi Missam planam celebret, non ut Canonicus, sed ut Capellanus, ut in haec verba disserit *Ceccoper.* lucubrat. canon. lib. 3. tit. 9. num. 10. atque adhaerent *Zypaeus* lib. 3. tit. de Cleric. non resid. num. 31., *Covarvias* var. resolut. lib. 3. cap. 3. num. 5. et *Gonzalez.* in lib. 3. decretal. §. 3. num. 18. Opinantur alii, consuetudinem lucrandi distributiones in ea absentia non esse reprobendam, ex quo Canonici absentes, ut faciant Sacrum, aequae actum exercent divini cultus, ita *Garzias* de Benefic. part. 3. cap. 2. §. 1. n. 441., *Antonell.* de Cleric. non resident. lib. 3. cap. 16. num. 25., *Monet.* de distribut. part. 1. quaest. 11. num. 52., praesertim si celebrent pro oneribus adnexis canonicali praebendae, quo in casu exequuntur munus suum, quod nemini debet esse damnosum, juxta cap. pervenit de fidejussor. et *Engel* in jus can. lib. 3. tit. 4. n. 33. et *Ceccoper.* lucubr. can. lib. 3. tit. 11. n. 20.

Tertia denique sententia eorum est, qui cum consuetudine Ecclesiae quoque utilitatem conjunctam esse volue-

runt, ita ut nisi de legitimi Superioris licentia, quis abfuerit ad Missam celebrandam in populi commodum, distributiones lucrari nequeat, qualibet non obstante consuetudine, ut decrevit s. Carolus Boromaeus in Concil. IV. Mediolanensi part. 2. cap. 13. et firmant *Vannespenius* in jus eccles. univers. part. 1. tit. 7. cap. 11. sub 3., 4., *Braschi* Promptuar. Synodal. cap. 81. num. 26., et *Benedictus XIV.* institut. eccles. 107. num. 74. et seq. Haec autem opinio jamdiu Sacrae hujus Congregationis auctoritate invaluerat. Cum enim anno 1573 propositum fuisset dubium in his terminis: Quia quandoque in Cathedralibus et Collegiatis sunt aliqui Canonici vel alii Officiales, qui in eisdem habent capellanas vel in titulum vel in tantam mercenarii, quaeritur an eo tempore, quo in dictis capellaniis celebrant, distributiones recipere debeant, licet absint a choro et quid de illis Canonici, qui celebrant in eadem Ecclesia suae devotionis gratia, an quando hac de causa a choro absint, distributiones recipere possint et dato quod non, quid si a Superiore Ecclesiae injungatur, ut eo tempore celebrent; re ad SSmum relata Sanctissimus Dominus Noster etiam ex sententia Sacrae Congregationis Concilii declaravit, non posse, nisi quando sic jussissent Superiores, quos tamen admoneri voluit, ut ab hujusmodi absterneant, ut legitur in lib. 13. decret. pag. 51. cui resolutioni recentiora accesserunt decreta et praesertim in Comen. Celebrationis Missarum, in qua cum secundo loco quaesitum fuisset, an sustineatur consuetudo celebrandi Missas a Canonici tempore horarum canonicalium sub die 23. Novembris 1771. Sacra haec Congregatio rescripsit, Negative, nisi de legitimi Superioris licentia.

Consonant cum his Constitutiones

Episcopi *Facchinetti*, quibus cautum: Che nissuno obligato al coro possa partirsi dal coro mentre si recita il divino Officio, e si canta la Messa conventuale, con occasione di audare a celebrare Messa tanta per obbligo, quanto per sua devozione, se ciò non gli venga permesso dal Signor prefetto per bisogno della Chiesa, sotto pena della puntatura di quel servizio. Contrariam nihilominus consuetudinem ab immemorabili inductam rationabilem defendunt Capitulares s. Petri, cum alias non omnes celebrare possent vel ante vel post Officiaturam ob deficientiam congrui temporis et inservientium. In eorum quippe Ecclesia horae canonicae recitari solent indeliberanter a matutino usque ad vespas; plures quandoque Conventuales celebrantur Missae; ac duo tantum sunt Clerici Ecclesiae servitio addicti. Rationes hujusmodi num consuetudinem retinendam suadeant repugnantem cum regulis Sacrae hujus Congregationis et Ecclesiae Constitutionibus, a Vestro pendet iudicio.

Quartum denique succedit de administrantibus Poenitentiae Sacramentum tempore choralis Officiaturae, quibus in hac absentia similis consuetudo distributiones concedit. Nil quidem hac de re Constitutiones Ecclesiae disposuerunt, verum sancitum est per Tridentinos Patres in sess. 24. cap. 8. de reformat., ut Poenitentiarum etc. dum confessiones in Ecclesia audiet interim praesens in choro censeatur, quae dispositio quum ad eos tantum ampliata sit, qui pro muneris necessitate confessiones excipere tenentur, *Fagnan.* in cap. licet. de praebend. num. 118., ideo nisi quis ex lege foundationis aut de mandato Episcopi absit ad Sacramentum illud administrandum, distributionibus frui non posse videtur, ut pluribus relatis exemplis firmavit, Sacra haec Congre-

gatio in Maceraten. 23. Aprilis 1768. Si autem in Collegiata divi Petri unus Prior, qui animarum curam exercet eo munere fungi debet, merito dubitari posset, num caeteri Capitulares, quo tempore confessiones audiunt proprio motu, et non mandato Episcopi, pro praesentibus haberi debeant.

Ab ipsa tamen unius Parochi obligatione administrandi Sacramentum illud, rationabilem Canonici eorum consuetudinem ostendere conantur, cum frequentis populi pietati solemnioribus praesertim festis unus Confessarius satisfacere non possit. Reque vera in populi commodum similis permissa est absentia sive in Cathedrali sive in Collegiata s. Gregorii eamque licitam defendit *Vannespenius* in jus. eccles. part. tit. 7. cap. 11. sub. §. 4. Sed quamquam haec ita sint, punctandos tamen censet Episcopus hac de causa absentes excepto Priore, qui curam adnexam habet animarum et Capellano curato; nec non exceptis deputatis ab Ordinario in casu alicujus populi confluentiae illudque notat, quod Collegiata Ecclesia divi Petri quia extra Civitatis moenia constituta, parum frequentatur, praeter unam vel alteram infra annum festivitatem, quae ibi celebratur et mensem Maji pro lucranda Indulgentia plenaria defunctis applicanda et tunc non desunt media providendi Ecclesiam de missis et Confessariis ad populi commoditatem absque ullo Capituli dispendio. Quibus positus dijudicent *Emmae VV.* num omnibus in genere Capitularibus permittenda sit absentia tempore choralis Officiaturae ad excipiendas confessiones, quoties non unus Prior, sed Capellanus etiam curatus dietim ex officio munus illud exercerent alique ab Ordinario deputari possunt solemnioribus festis.

Dubia sunt:

I. An et quomodo Capitulares Collegiatae Ecclesiae divi Petri absentes

substituere possint in chorale servitium et sibi invicem permutare conciliares vacationes et ad quae loca pro hujusmodi effectu extendantur suburbia Civitatis in casu?

II. An et quomodo Canonicus coadjutor alium substituere possit in chorale servitium in casu?

III. An et quomodo Capitulares absentes ad Missam in eadem Ecclesia divi Petri celebrandam tempore choralis Officiaturae lucrari possint distributiones quotidianas in casu?

IV. An et quomodo Capitulares absentes ad audiendas confessiones in eadem Ecclesia divi Petri, quo tempore confessiones audiunt, pro praesentibus haberi debeant in casu?

S. C. resp.:

Ad I. Affirmative juxta votum Episcopi et ad formam *Jadren.* anni 1626.

Ad II. Negative.

Ad III. Negative juxta votum Episcopi et Constitutiones Episcopi *Facchinetti.*

Ad IV. Negative juxta votum Episcopi.

Die 28. Februarii 1795.

*Ad dub.:* An Canonici et Capitulares Cath. *Fulginaten.* absentes a civitate et suburbis possint sese invicem substituere in servitio chori?

S. C. C. resp.: Negative.

Die 31. Maji 1721.

Casertana.

Exemplo caeterorum Canonicorum Cathedralis Casertanae, qui facultate se invicem substituendi in chori servitio potiuntur, Canonici Coadjutores, quibus dicta facultas controvertitur, preces huic Sacrae Congregationi porrexerunt pro ea reportanda, super quibus Episcopus de more auditus censet, quod cum ex causa intemperiei aeris Canonici, ut plurimum in